

Oa 93

N. 13.



Königliches Gymnasium zu Marienwerder.

In der

am 28. September 1865 stattfindenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen

ladet

im Namen des Lehrer-Kollegiums

ehrerbietigst ein

Dr. Theodor Breiter,


Dir. Gymn.

Inhalt.

- a. Abhandlung des Oberlehrer Dr. Hermann Zeyß: „De vocabulorum Umbricorum fictione.“ Partic. III.
- b. Schulnachrichten vom Direktor.

Marienwerder, 1865.

Gedruckt bei Friedr. Aug. Sarich.



Königliches Gymnasium zu Thorn

1868

am 28. September 1868

Öffentliche Sitzung

aller Schüler

KSIAZHNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

~~Bibliothek~~
Thorn

9B1697

De
vocabulorum Umbricorum fictione

scripsit

Dr. A. F. Zeyfs.

Partic. III.



B. De substantivis nominalibus.

§. 5.

I. De substantivis ab adiectivis ductis.

Alterum substantivorum genus eorum est, quae ab adiectivis ita orta sunt, ut quarum rerum propria esset, quae illis significatur, vis et natura, eae nomen ab iis invenirent. Ex iis

1, primum ea ponimus, quorum inclinamenta monosyllaba sunt et a vocali incipiunt. Huc referenda sunt, quae in *o* exitum habent, ut *tūro* sive *tōro*⁶⁹), quod vocabulum non solum idem est, quod osc. (Mommsen. Ital. infer. dial. tabul. XII. 37.) et latin. *tauro*, graec. *ταῦρο*, gallic. *tarvo* (Orell. 1993.), hibernic. *tarb* sive *tarbh*, cymric. *taru* sive *tarv*, danic. *tyr*, bohemic. et polonic. *tur*, chaldaic. *tor*, sed etiam idem, quod gothic. *stiur* et sanscrit. *stūrā*, quod ubi adiectivum est, idem significat, quod latin. *robustus* et *validus*. Eodem enim modo huius substantivi *s* inceptivum sublatum est, quo substantivorum verbalium *peiko* (*picus*)⁷⁰) et *peika* (*pica*) cum germanic. *speh* sive *speht* conferendorum. Adde adiectiva ab oppidorum nominibus ducta, quibus cives eorum significantur, ut *Peraznanio*, quod adiectivum existimandum est a *Peraznania*, oppidi nomine, descendisse.

69) Quum I. b, 1. = VI. b, 43. et I. b, 4. = VI. b, 45. *vitluf turuf* sive *vitlu toru*, i. e. vitulos tauros, at I. b, 31. = VII. a, 41. nullo eius generis vocabulo addito *vitlaf* sive *vitla*, i. e. vitulas, legatur, nulla alia de causa *turuf* sive *toru* illis locis appositum esse Aufrecht. et Kirchhoff. in ling. umbr. monum. vol. 2. p. 233. recte dixerunt, nisi ut virile secus hostias ad sacrificia illa requiri appareret atque exstaret. Quam rem non debebat reicere Huschkius, qui in tabul. Iguv. p. 208, quum parum eam perspiceret, ad ineptias abiit. Eodem videlicet dicendi genere et Graeci et Romani usi sunt, ut *βοῦς ταῦρος* (Homer. II. 2, 480—481.) sive *ταῦρος βοῦς* (Homer. II. 17, 389), itemque *σῦς κάρπος* (Homer. II. 5, 783.) et *ἀρνειὸς οἶς* (Homer. Od. 10, 572.) sive *οἶς ἀρνειός* (Homer. Od. 10, 527.). Cf. *verris sueres*, hoc est *verres sues* (Liv. Andronic. Odyss. apud Fest.)

70) Quid proprie sonet vox *pici*, ex anglico eius nomine *pecker* sive *woodpecker* satis apparet. Quare non sentio cum Pottio, qui in quaest. etymolog. vol. 1. p. 235. et vol. 2. p. 600. itemque in act. erudit., quae Kuhn. edit, vol. 6. p. 32. et 349. ut *speht* cum anglico *speckled* (varius) comparatum, ita *pīcum* et *pīcam* *pīcamque*, cuculum indicum, cum graeco *ποικίλος* et Latinorum pingendi verbo collatos a colorum varietate nomen traxisse putat.

Frequentiora sunt, quorum inclinamenta monosyllaba a consonis incipiunt. Et ko quidem positione affixa, quae eadem est atque sanscrit. ka, graec. *κο*, latin. *co*, ab adiectivis substantiva ducuntur, ut a latino juven-(is), sanscrit. *juvan*, persic. *dschuvân iveka* sive *ivenga*, i. e. *juvenca*, quocum conferendum est *juvaça* (juvenis) adiectiv. sanscrit.

In to syllaba cadunt, quae proprie participia sunt pf. pass., ut *stahmito* (VI. a, 8.⁷¹), i. e. statutum templum, proprie partic. pf. pass. est verbi a *stahmo* substantivo ducti. Vid. Partic. II. p. 12.

In lo, quod latino inclinamento ulo respondet, *steflo* exit, quae umbrica forma habenda est eius vocabuli, quod latini scriptores ex suae linguae natura effecerunt *strebulo* sive *stribulo*, cum qua forma latinum *stribliginis* (= *σολοικισμού*) vocabulum conferendum est. Fest. p. 313. M. „*Strebula* umbrico nomine Plautus appellat coxendices hostiarum, quas Graeci *μηρία* dicunt, quae in altaria imponi solebant.“ Paul. Diac. p. 312. M. „*Strebula* lingua Umbrorum appellabant partes carnum sacrificarum.“ Proprie vero hoc substantivum neutrum esse adiectivi *strebulus* sive graeci *στρεβλός* (flexuosus, tortuosus, curvus) a *στρέφειν* (vertere) ducti manifestum est. Varr. de ling. lat. 7, 3, 67. „In Cessione: „*Da stribula* aut de lumbo obscoena viscera“; *stribula*, ut Opilius scribit, circum coxendices sunt bovis; id Graecum est ab eius loci versura.“ Arnob. 7, p. 230. „Non placet carnem *strebulam* appellare, quae taurorum e coxendicibus demitur.“

2, Deinde afferenda ea sunt, quorum inclinamenta duabus syllabis terminantur.

a, Et primum quidem neutra adiectivorum, quae a substantivis ducta sunt aliterminatione affixa, ut *sorsali* et *Tefrali*, in substantiva vertuntur, sicut *verfale* (carmen) a *verfo*, quod Romanorum verbum est, ductum. Vid. Partic. II. not. 53.

b, Tum ut in latina lingua, sic etiam in umbrica ab oppidorum nominibus, quae in a cadunt, ducta sunt adiectiva in ano desinentia, quibus id, quod ex illis ortum est, declaratur. Iis in substantiva versis oppidani significantur, ut *Juieskano* nominatur, qui *Juiesca*, et *Satano*, qui *Sata* oriundus est.

c, Eodem modo in utraque lingua ab oppidorum nominibus, quae in io desinunt, derivata sunt adiectiva, quae in ino exitum habent. Etiam iis in substantiva mutatis oppidani notatur, ut *Ikuvino* sive *Ijovino* is appellatur, qui *Iguvii* natus est.

d, Tum ut Romani in uno exeuntia et adiectiva habent, ut *opportuno* et *importuno*, et substantiva, ut *Mutuno* et *Tutuno*, sic Umbri eodem exitu usi sunt,

71) Huius vocabuli i longum habendum est propterea, quod pro *stahmitei* (VI. a, 18.) VI. a, 5. *stahmeitei* scriptum est. Id quidem Aufrecht. et Kirchhoff. in ling. umbr. monum. vol. 2. p. 50 et 419. per errorem exaratum esse dixerunt, quod romanae coniugationis derivativae similitudo requireret, ut paenultima eius participii syllabae vocalis brevis esset, quam ob rem *stahmitei*, quod in archetypo est, iidem vol. 2. p. 3. in *stahmitei* mutare non dubitaverunt. Sed non reputaverunt ad coniugationem, quam ipsi vocaverunt derivativam, etiam ea verba se vol. 1. p. 139. retulisse, quae quartae, quae dicitur, sunt coniugationis, et umbricum verbum *stahmî* conferendum esse cum latinis verbis nominalibus *compedire*, *expedire*, *impedire*, *servire*, *superbire*, aliis.

ita tamen, ut posteriore aetate pro eo ono ponerent, ut es-uno sive es-ono, quod adiectivum idem sonat, quod divinus, in neutro genere pro substantivo positum idem est, quod res divina sive sacrificium. Nam stirps eius, ut vidit Ebel. in act. erudit., quae Kuhn. edit, vol. 4. p. 200 — 201., eadem est, quae aes-ar nominis, quo etrusca lingua deus notabatur (Sueton. Octavian. 97.); pro aes- autem Umbri, quum ai diphthongum in e mutare solerent, tractim es- pronuntiarent necesse erat⁷²). Ab eadem stirpe nomen ductum est fluvii, qui Umbriam a Piceno seiungit, Aesis sive, quae nunc eius forma est, Esino. Neque vero Etruscorum Umbrorumque finibus haec stirps continetur, sed etiam apud ceteros Italiae populos manifesta eius exstant vestigia. Atque Volscorum quidem eam fuisse signum est es-ar-istrom (tabul. Velitern. 2.), i. e. res ad deum vel ad sacrum spectans, et Sabellos ea usos esse ex aisos genetivo apparet, qui in his verbis tabulae Rapinensis legitur: Aisos pacris totai Maroucai lixs, i. e. sacrificii paciferi civitati Marruvicae leges. Nec aliena ea fuit ab osca lingua, cuius rei testimonia sunt duo nomina ab ea ducta, alterum Aeserniae, quod Samnitium oppidum hodie Isernia dicitur, alterum fluvii, qui Crotonem urbem praeterfluebat, *Αἰσάριον* (Theocrit. 4, 17. Strab. 6. p. 262.) sive Aesaris (Ovid. Metam. 15, 23.), quod nomen hodie mutatum est in Esaro. Hoc enim non adducor, ut credam, ab Achaeis, qui coloniam eo deduxerunt, illud ei positum esse, quamquam non inepte Lanzi in Saggio di ling. etrusc. tom. 2. p. 799. *Αἰσαν* cum etrusco illo nomine contulit. Nec scio, an ab eadem illa radice es descendat Esus, cuius Gallorum dei nominis e vocalem productam esse ex Lucan. Phars. 1, 445. intelligitur; nam etsi hoc loco in vetustis codicibus Hesus legitur, tamen constanter h littera caret hoc nomen non solum in monumentorum titulis omnibus, in quibus id scriptum invenitur, ut Orell. 1993., Belloguet Ethnogénie gauloise. II. p. 113. (Cf. I. Becker in act. eruditor., quae Kuhn. et Schleicher. edunt, vol. 3. p. 341.), sed etiam in omnibus nominibus ab eo ductis, qualia sunt At-esui (Plin. Nat. hist. 4, 14.) Esu-vii (Caes. B. G. II. 34. III. 7. V. 24.), Esu-ggius (Orell. 2062.), Esu-magius (Revue archéolog. N. S. IV. 1861. p. 138.) Esu-nertus (Mommsen. Inscr. Helv. 89.). Non obstat, quod huius nominis u, id quod I. Becker. demonstravit loco, quem ante laudavi, p. 342., stirpis est, non inclinamenti. Ceterum cf. deorum dearumque nomina verbalia, quae in uno sive ono et una sive ona exitum habent, Partic. II. p. 23 — 24.

e, Ad oppidanos autem significandos Umbri aequae atque Latini etiam adiecti-

72) Hoc aes- sive es- Corssen. de Volscor. ling. p. 21—22. et in act. erudit., quae Kuhn. edit, vol. 9. p. 139. a radice sanscrita isch (optare, cupere) ita ducendum putavit, ut vocali a praefixa radice vocalem auctam atque elatam esse diceret (id quod Indorum grammatici Vridhi vocare solent). Quae explicatio minori offensionem esset, si isch timere significaret, non optare; antiquissima enim aetate vix aut omnino non poterat fieri, ut ab optando duceretur nomen dei, qui donis placandus esse crederetur. Sed quorsum haec disputo? In italicis linguis videtur Corssenio vis precandi illi radici subiecta esse, ita ut aesar significet „deum precibus invocatum.“ At haec coniectura tam levis et vana est, ut nihil sit, quo ea possit probari.

vis usi sunt annexa ati terminatione ab oppidorum nominibus ductis, quae in 'um, ium, a, ia exeunt, ut Kaselati sive Casilati, Atijeati (Attidates apud Plin. Nat. hist. 3, 14.), Peieati, Talenati, Kureiati (Curiates apud Plin. Nat. hist. 3, 14.), Museiati ii vocantur, quorum oppidis Casilum, Atijeium, Peieium, Talena sive Talenum, Kureia, Museia (hodie Musceia) nomina fuisse videntur.

f, Ut Romani atu terminatione substantiva finxerunt, quae virorum dignitate, munere, officio inter se coniunctorum ordinem vel societatem significant, ut senatus, equitatus, peditatus, sic Umbri affixo ato inclinamento ab adiectivis eius generis substantiva duxerunt, ut ab adiectivo fratrecō sublata, quae eius stirpis est, o littera⁷³) fratrecato (fratrum collegium).

g, Non solum a verbis, sed etiam a nominibus et appellativis et propriis affixa io positione, quae eadem est ac sanscrit. ja, osc. iú (nominat. is) latinaque io, adiectiva ducta sunt, quae naturam traxerunt substantivorum, ut felio sive filio, quod ab eodem fel (sugere) ortum est, a quo profecta sunt latin. felare sive fellare (i. e. sugere), de quo vid. Non. p. 113. et 242. ed. Mercer., felator sive fellator, felatrix sive fellatrix, fellicare, fellebris sive fellibris, de quo cf. Placid. in Ang. Maii Classic. autor. e Vatican. cod. edit. Tom. VI. p. 562. „fellibrem, adhuc lacte viventem.“ Fel autem idem est, quod graecum $\theta\eta\lambda-$ ($\theta\eta\lambda-\acute{\alpha}\zeta\omega$) ex $\theta\acute{\alpha}\omega$ = sanscrit. dhê natum. Adiectivum ergo felio sive filio eandem sententiam habet, quam latin. lactens, ut tres sis feliuf (I. a, 14.) = sis filiu trif (VI. b, 3.) idem valet, quod tres sues lactentes⁷⁴, at substantivum, quod per compendium

73) Substantivum, cuius est dativus fratrecate (VII. b, 1.) i. e. fratrum collegio, non, ut Aufrecht. et Kirchhoff. in ling. umbr. monum. vol. 2. p. 305. et 406. coniecerunt, a substantivo fratrec, cuius nominativus fratrecs V. a, 23. et V. b, 1. sive fratrecs VII. b, 1. et dativus fratreci VII. b, 4. inveniuntur, ductum esse potest propterea, quod eo neque, ut illi volunt, munus fratrum magistri, neque magistrorum fratrum societas significatur. Aliter quidem iudicat Aufrecht. in act. erudit., quae Kuhn. edit. vol. 8. p. 219., quo loco, quum fratrecate non quartae, quae vocatur, declinationis esse possit, fratrecat eius stirpem esse putat, quae, ut a superno et summo supernat et summat, ita a fratrecō ficta sit. Quod si verum esset, fratrecate tertiae, quae dicitur, esset declinationis. At primum, quibus substantivis coniunctio et consociatio declaratur, ea apud Romanos non in at desinunt, sed in tat, at societat, sodalitat. Quum vero Romanae linguae Umbrica proxima sit, tantum eam in hac re ab illa discrepasse, ut maxime diverso usa sit inclinamento, vix est credibile. Deinde praestat, nisi fallor, ponere, substantivi, cuius sit dativus fratrecate, stirpem si non eundem exitum, at similem tamen ac senatus nomen habere. Neque magnam haec res habet difficultatem, quod eius generis vocabula, cuius est senatus, etsi non in ceteris casibus, tamen in genetivo non solum apud Romanos, sed etiam apud Oscos, cuius rei testimonium est genetivus senateis (cipp. Abell. 8. 35. tab. Bant. 3. 6.), etiam secundam, quam vocant, declinationem sequuntur. Denique quod eodem loco Aufrecht. eius substantivi, cuius dativus est fratrecate, nominativum fratrecā (VII. b, 2.) esse putat, ego vero, ne multis morer, hoc satis habeo dicere, quum fratrecā (VII. b, 2.) ablativum sing. gener. femin. esse appareat, qui cum antecedeute reper, i. e. pro re, sit coniungendus, tum in septima tabula illius substantivi, si stirps esset fratrecat, nominativum non alium esse posse nisi fratrecos.

74) Quamquam quid sonaret feliuf sive filiu recte iam dixerat Lanzi in Sagg. di ling. etrusc. Tom. II. p. 717 et 820., tamen Grotefend. Rudim. ling. umbr. Partic. IV. 20. VI. 15. VIII.

fel. scriptum in titul. Tudert. 3. legitur, idem declarat, quod latin. filius. Eodem igitur modo ab Umbris et Romanis filius et filia sugentis nomine notati sunt, quo ex duh (mulgere, sugere) filia ab Indis appellata est duhitár, a Gothis dauhtar⁷⁵), a Graecis transposita aspiratione *Δυγάτηρ*.

Huc referimus etiam nomina propria, quae in io cadunt, ut Salio, Titio (in titul. Tudert. 1.). Cuius quidem inclinamenti apud Romanos antiquiores formae exstant aio, aeo, eio (cf. umbric. adiectiv. deveio), êo, io, ut Saleius, Salius, Salius. Eiusdem i vocalem, ubi praecederet vocalis, in j versam esse consentaneum est, ut in Hojo, quocum Heji nomen, quod in titulo ex Umbriae oppido Fano Fortunae a Gruter. 418, 1. allato legitur, Aufrecht. et Kirchhoff. in ling. umbr. monum. vol. 2. p. 80. recte contulerunt.

Eodem modo neutrius generis substantiva nata sunt, ut farsio⁷⁶), quod, quum neutrum sit adiectivi a farciendi verbi participio farsus derivati, fartum sive farcimen significat. Cf. verbalia, quae in io cadunt, substantiva Partic. II. p. 23.

Adiungimus huic positioni etiam ia inclinamentum, quo participiis praes. act. affixo substantiva finguntur, quibus eadem, quae participiis illis, significantur qualitates. Nam ut a participiis ducta sunt haec Romanorum substantiva: constantia, vigilantia, indulgentia, libentia, licentia, patientia, potentia, poenitentia, praesentia, absentia, sapientia, volentia, benevolentia, malevolentia, sic ab here sive heri (velle) verbi participio derivatum est umbricum substantivum herintia, cuius abl. pl. herinties (gratiis, i. e. volentes, lubentes) in titul. Amerin. 2. legitur.

h, Separandum autem est ab io terminatione ex aijo natum ijo inclinamentum, pro quo posteriore aetate extrita j littera io ponebatur. Hoc enim annexo a nullis aliis vocabulis nisi a nominibus propriis ducebantur adiectiva, quibus ipsis quoque vis nominum priorum subiiciebatur, ut Kastruśijo (Castrucius), Kluvijo (Cluvius) itemque Klavernijo sive Clavernio (civis Clavernae oppidi in agro Piceno siti). Et hoc quidem inclinamentum non solum idem est, quod oscum ijo, quod item non est nisi propriis nominibus fingendis vel ducendis ab iis nominibus, sed etiam idem, quod umbricum (Kur-ej-ate, Mus-ej-ate), oscum, latinum êjo ex eijo, quod

15., Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. 1. p. 90—91 et 100., Huschk. tabul. Iguvin. p. 150—151 et 683. mirabilia de eo vocabulo protulerunt.

75) Schweizerus, quamquam a duh (mulgere, sugere) indicum hoc, gothicum graecumque filiae nomen descendisse in antiq. litter. diar. 1846. fascic. 77. posuerat, tamen in act. erudit., quae Kuhn. edit, vol. 8. p. 228. et vol. 12. p. 306. collato gothico daug (crevi) proprie id crescentem significare voluit. At recte quidem pueri puellaeque, quum adolescent, ab adolescendo adolentes nominantur, sed eius notionis, quae filiae nomine exprimitur, etsi filiae ipsae quoque adolescent, non ita propria adolescendi nota est, ut illae nomen ab ea trahere potuerint.

76) Farsio substantivum Aufrecht. et Kirchhoff., quamquam ling. umbr. monum. vol. 2. p. 186. incerti sunt, utrum a farris nomine, an a farsus participio ducant, tamen vol. 1. p. 91. 98. 106. 163. et vol. 2. p. 406. sine ulla dubitatione ab illo substantivo duxerunt idemque ac latinum farreum habuerunt. Cui explicationi quid obstaret, Partic. II, not. 27. exposui.

a in e mutato ex aijo exstitit, profectum, quo quidem adiecto non solum a propriis nominibus, sed etiam ab appellativis nomina, in quibus originis notio inest, ut a plebe plebejus, ducta sunt. Vid. exempla huius generis nominum apud Corssen. in act. erudit., quae Kuhn. edit, vol. 5. p. 87 — 94. Idem est sanscritum êja (= aija), quod, quum originem significet, maxime ad patronymica formanda confertur. Adde Graecorum patronymica in εἶος et εἶα exeuntia. Iam vero quum ex aijo, quod est in osco Me-fit-aija-is (Mommsen. Ital. infer. dial. p. 187.) et Pomp-aij-ans (Mommsen. loco, quem ante laudavi, p. 183.), i. e. Pompeianus, umbricum et oscum ijo profectum sit, longam et huius terminationis et io ex ea ortae i vocalem habendam esse apparet. Cui rei non obstat, quod Romani ex nominum propriorum terminatione eio sive io correpta i vocali io finxerunt, (de qua re vid. Ritschl disputat. de sepulcro Furiorum Tusculano. 1853. p. IV. sq.), ita ut umbricis illis nominibus Kastruśijo et Kluvijo romana Castrucius et Cluvius respondeant.⁷⁷⁾

i, Non minus quam ijo sive io ab io terminatione discernendum est ie inclinamentum, ut jovie.⁷⁸⁾

77) Quod Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. 2. p. 310. negaverunt neque Umbros posteriore aetate io inclinamentum ex ijo natum ab illa, quum supra posui, io terminatione discernere, neque Romanos hanc terminationem ab illa disiungere, ei hoc videtur esse opponendum. Ut ijo inclinamenti umbrici i longum habendum est propterea, quod id ortum est ex ai diphthongo, sic eadem de causa etiam sublato j longum id esse censendum est; nihil enim est, quo extrita illa consonante longa haec vocalis corripiatur. Quo modo aliud hoc io ex ijo ortum, aliud illud io esse apparet. In latina autem lingua non illius quidem, in qua j inest, terminationis formae, eas dico, quae ex aijo genitae sunt, aejo, eijo, êjo, in io mutatae sunt, at ex variis inclinamenti, quod j consonante caret, formis, aio, aeo, eio, êo, îo, correpta i vocali io in io versum est ita, ut apud Romanos hanc terminationem postremo ex aio factam et vulgarem illam io nihil differre concedendum sit.

78) Hoc vocabulum non referendum esse in nomina affixa io terminatione formata non solum accusativo pl. jovie VI. b, 59. et VII. a, 48. pro jovief scripto, sed etiam dativo pl. jovies (VI. b, 62. VII. a, 13. 14. 28. 50.), cuius s aequae ac stirpium in i vel in consonantes exeuntium integrum servatum est, ita efficitur, ut mihi quidem non videatur posse convelli. Nihilominus Corssenius in libro de illustranda linguae latinae etymologia p. 224. ita annexa io positione id fictum esse voluit, ut eam attenuatione in ie mutatam esse diceret. Apud Volsecos quidem, quum i vocali propior sit e vocalis quam o, vi praecedentis i factum est, ut in io terminatione subsequens o in e verteretur, quo modo ex nominum propriorum nominat. singul. Cosut-io-s, Tafan-io-s, Pakv-io-s orta sunt Cosut-ie-s (tab. Velitern. 4.) Tafan-ie-s (tab. Velitern. 4.) Pakv-ie-s (tab. Antin. 1.) = latin. Cosutius, Tafanius, Paquius sive Pacuvius; eodemque modo attenuata sunt osca nomina Pemptie-s, Pup-ie, Stat-ie, Sil-ie-s sabellicumque Al-ie-s, atque etiam, ut in graeca et latina, sic etiam in umbrica lingua in vocativo sing. o in e versum est, ut in Fisovie, Sansie; sed nequaquam in accusat. pl. apud Umbros eiusmodi mutationem factam esse ex fel-iu-f (I. a, 14.) = fil-iu (VI. b, 3.) apparet. Etenim si in accusat. pl. apud Umbros io esset et integrum servatum et in ie versum, non constanter et aequaliter, ut jovie VI. b, 59. et VII. a, 48., sic feliuf I. a, 14. et filiu VI. b, 3. scriptum esset. Aliter quidem visum est Aufrecht et Kirchhoffio ling. umbr. monum. vol. 1. p. 123. et vol. 2. p. 409., qui jovief et jovies a stirpe, quae in i caderet, ducenda putaverunt, itemque Huschkio, qui in tabul. Iguvin. p. 251. latina nomina, qualia essent Taties (quod quidem nullo loco legitur) et Tities, cum umbrico illo nomine comparari posse dixit; sed, quamquam dativi jovies cum aves (I. a, 1.) et accusativi jovief cum avef (I. b, 10.) collati terminationes cum illa coniectura congruere

3, Iam accedimus ad ea nomina, quorum inclinamenta sunt trisyllaba.

a, Et primum quidem asio terminatio, quae eadem est ac sabina asio (Loebasius = Liber. Serv. ad Vergil. Georg. 1, 7.) et osca asiú, apud Romanos excepto amasii vocabulo tantum in nominibus propriis, [qualia sunt Aplasia, Herbasius, Herbasia, Planasia, Vitrasius, Vesp-asi-anus, integra servata est, at in ceteris nominibus, quae iusta est s inter vocales positi mutatio, in ario versa, quae quidem forma apud Celtas et in appellativis nominibus et in propriis locum habet, ut in crupellario (Tacit. Ann. 3, 43.), Tarcondario (Caes. B. C. 3, 4.), Risiviario (Notizenbl. z. Archiv f. Kunde österr. Geschichtsquellen. 1856. p. 524.). Iam vero apud Romanos ex neutro adiectivorum in asio exeuntium substantiva facta sunt, quae earum rerum, quae primitivis notatae sunt, receptaculum significant, ut urnarium mensam, in qua urnae poni solent; at vero apud Umbros femininum eorum omisso aliquo feminini generis substantivo, quod quidem initio mente supplebatur, personam quasi induit substantivi, ut urnasia, quod vocabulum non urnarium, ut volunt Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. 2. p. 313

videntur, tamen in umbrica lingua, id quod iidem Aufrecht. et Kirchhoff. ling. umbr. monum. vol. 2. p. 267. viderunt, nihil est, quod contendere possit cum jovii stirpe, ad quam, si vera esset illa opinio, revocandae forent jovief et jovies formae. Quare statuendum est, ut statuerunt illo loco Aufrecht. et Kirchhoff., ad jovie stirpem illas formas referendas esse, ex quo declinationem cum quinta romana conferendam hoc nomen sequi efficitur. Quod ut masculini generis esse ex adiutorum participialium terminatione intelligitur, ita aliquam populi partem significare ex nerus cum eo copulatis apparet. Iam vero Grotefend. Rudiment. ling. umbr. Partic. IV. 27. et Huschkius tabul. Iguvin. p. 251. ab Jove id duxerunt eoque nobiles sive proceres appellari iudicaverunt, quibus id positum esset non tam honoris ornamentum, quod nobili in genere nati multumque opibus atque auctoritate valentes propiores quasi Jovi essent, quam quod, ut ait Huschkius, ut Samnitium legio linteata (Liv. 9, 40, 9. 10, 38. Fest. v. legion.), Jovi sacriati ad bellum irent. At primum ex propinqua cognatione Umbrorum et Samnitium colligi non potest eiusmodi sacratione etiam Umbros usos esse, praesertim quum illa, etiamsi „ex vetusta Samnitium religione“ (Liv. 10, 38, 6.) petita esset, tamen tum, tertio bello Samnitico, esset insolita. Deinde quum nerus, qui proxime praecedunt, nobiles sive proceres habendi sint, in eorundem numero ducere non licet eos, qui jovies dativo et jovie accusativo notati sunt. Tum si ex Jove in nominati essent, nomine, quod in io exit, usitato illo et trito Juvio sive Jovio, appellandi erant, non nomine, quod in ie desinit, Jovie. Quum his de causis explicatio, quam supra dixi, reiicienda sit, alia quaerenda est. Iam vero viam ad eam nobis monstrant quae omnibus locis apposita iis sunt participialia hostator, anhostator, i. e. hastati, non hastati. Quare radix jovie stirpis eadem habenda est, quae latini vocabuli juv-enis. Opponas sane huic rei et ju in iveka sive ivenga, i. e. iuvenca, in i versum et en eidem cum latinis vocabulis juvenis et juvencae commune obstare, sed nihil est, quod nos impediatur, quo minus statuamus Umbris radicem in ivenga j et u in i cogendis mutare, in jovie integram servare et in illo vocabulo fingendo eodem, in hoc alio ac romano inclinamento uti licuisse. Quae quum ita sint, non dubito, quin jovie, ut voluerunt Huschkius ling. osc. et sabell. monum. p. 122., Knoetelius de lustratione Iguvin. (Glogav. 1862.) p. 8., Corssenius loco, quem supra laudavi, p. 224—225., iidem habendi sint ac Romanorum juvenes vel juniores, qui ex Servii Tullii instituto ab anno aetatis septimo decimo usque ad quadragesimum quintum foris militabant. Liv. 1, 43, 2. „Seniores ad urbis custodiam ut praesto essent, juvenes ut foris bella gererent.“ Id. 1, 52, 5. „Ita renovatum foedus indictumque junioribus Latinorum, ut ex foedere die certa ad lucum Ferentinae armati frequentes adessent.“

et 422., sed vas significat, quod tantum capit, quantum urna, vel potius, ut Loebasius a Sabinis Liber vocatur, idem est, quod urna. Cf. cum hoc nomine ez-aria.

b, Tum annexa positione etio sive edio, pro qua Romani itio utebantur, adiectiva Umbri fingeant, quae in nomina propria abibant, ut Kuretio sive Coredio (i. e. Quiritio),⁷⁹⁾ quod dei nomen non videtur esse dubium, quin idem sit, quod nomen Jani Coratii (Dionys. Halic. 3, 22.) sive Jani Curiatii (Fest. p. 240. ed. Lindem., Schol. Bob. ad Cic. Mil. p. 277.). Ei probabile est respondere deam non solum ab Romanis, sed etiam a Sabinis et Etruscis (vid. C. O. Müller. Etrusc. vol. 2, p. 45.) cultam, quae apud Dionys. Halic. 2, 50. *Ἡρα Κυριτία*, apud Plutarch. autem Quaest. Rom. 87. *Κυριτίας* itemque apud Paul. Diac. p. 38. et 48. et apud Fest. p. 217. ed. Lindem. Juno Curitis sive Curis appellatur. Non repugnat huic rei neque quod vocalibus dei et deae nomina inter se differunt, neque quod vis iis diversa a veteribus subiicitur. Nam Janum Cornelii Labeonis testimonio fidem habens Laurent. Lydus de mens. 4, 1. p. 144. ed. Roether. dici ait „*Κουριάτιον, οἶον ἐὶ ἔφορον εὐγενῶν Κουριάτιοι γὰρ καὶ Ὀράτιοι ὀνόματα εὐπατριδῶν εἰσι.*“, Junonem autem Paul. Diac. p. 38. et 48. vult a ferenda hasta, quae lingua Sabinorum curis dicatur, Curitis nomen duxisse. Certe communis est stirps utrique huic nomini cum Kureiae nomine, cuius oppidi cives supra memoravi. Ceterum non confundendum est cum hac positione itio sive edio, in quod tenzitiom sive tesediom (I. b, 6. tenzitim = VI. b, 46. tesedi) exit, quod hoc substantivum principio videtur adiectivum fuisse ex participio pf. pass. progenitum.

c, Aliud inclinamentum etio est, pro quo Samnites edio utebantur et Romani ilio ex idio nato, ut umbricum Pumpeio idem est, quod samniticum Pompedio et romanum Pompilio ex Pompidio ortum. Ilio enim, ut ait Aufrecht. in act. erudit., quae Kuhn. edit, vol. 1. p. 278., ea forma est, in quam idio, quod ceterarum dialectorum italicarum est, apud Romanos vertitur; quo factum est, ut eadem nomina propria apud eos in idio et ilio excidant, ut Acidius et Acilius, Epidius et Epilius, Hostidius et Hostilius, Petidius et Petilius, Popidius et Popilius, Venidius et Venilius. Eodem autem modo, quo Pumpeio, fictum est nomen proprium, quod mutilum exstat in titul. Amerin., . . etveis itemque oppidorum nomina Peieio et Atijeio sive Atiersio (Attidium), cuius quidem verbum nativum in io exiit.

79) Aufrecht. et Kirchhoff., quamquam in ling. umbr. monum. vol. 2. p. 410. Kuretio idem fere esse voluerunt, quod Quiritium, tamen in eiusdem libri vol. 2. p. 235. Coredier formae aetate posterioris d littera de ea comparatione dubitationem sibi iniici dixerunt. At vanam eam esse hac collatione efficietur. Nam ut Coredier formae, sic etiam Padellar, quod idem est ac latinum Patellae, d littera ex priore t orta est. Adde tesedi pro priore tenzitim positum et tuder cum Tutere, urbis nomine, collatum. D videlicet littera, quae inter vocales collocata et superiore et inferiore aetate in q sive rs vertebatur, in quatuor illis vocabulis non ita mutata est propterea, quod ea, id quod illi non animadverterunt, pro priore t est posita.

§. 6.

II. De substantivis a nominibus numeralibus ductis.

Substantivorum a nominibus numeralibus ductorum ut pauca sint genera, ex ipsa re consequitur. Ex quibus unum eorum est, quae ut in latina lingua, sic in umbrica in *ur-ia* exeunt et cuiusvis generis classes numero finitas significant, ut *teku-ria* sive *decuria* (*decuria*). Ea comparanda videntur esse cum graecis substantivis numeralibus, quae *υς* syllaba terminantur, ut *τριχτύς* sive *τριπτύς*, *τετραχτύς*, *εξα-ροστύς* (= *εξαροντιάς*), *χιλιοστύς*. Sed, ut planius hanc rem explicem, repetam paulo altius.

Substantivorum latinorum, quae *ūr-ia* vel *ûr-ia* in exitu habent, tria omnino sunt genera. Et primum quidem in *ūr-ia* vel *ûr-ia* desinunt regionum terrestrium nomina, quae a populorum nominibus in *ys*, *us*, *ur* (= graec. *υς* sive *υρ*) cadentibus *ia* inclinamento terrae significandae causa affixo derivata sunt, ut populorum, qui *Astūres* = *Ἄστυρες* et *Ligyēs* = *Λιγυες* sive *Ligūres* (nomin. sing. *Ligus* sive *Ligur*) = *Λιγυρες* vocantur, terrae dicuntur *Astūr-ia* = *Ἀστούρια* et *Ligūr-ia* = *Λιγούρια* sive *Λιγουρία*. Eodem referendum est nomen *Etrūr-iae*, cuius quidem incolae *Etrus-ci* nominantur, ut *Fal-er-iorum* cives *Fal-is-ci*, quibus nominibus cum *Vols-corum* et *Ops-corum* sive *Os-corum* nominibus comparatis *s*, quod est in *Etrus-corum* nomine, in *Etrur-iae* nomine, quum vocalibus includeretur, in *r* versum esse intelligitur. Ab romana autem nominis forma *E-trus-corum*⁸⁰), quos Romani oppressis *e* et *r* litteris etiam *Tus-cos* vocabant, et umbrica forma, quae *e* initiali caret, *Turs-cur*, ex qua etiam extrita *r* littera

80) Quae vis subiecta sit huic nomini eius populi, qui se ipse nominabat *Ῥασέννας* (quo modo id nomen scriptum est Dionys. Halic. 1, 30. in Vatican. et Chisian. codd.), incertum est. C. O. Müller. in *Etruscor.* vol. 1. p. 79 sq. id, ut aliorum explicationes omittam, a *Tyrrha* oppido (Etym. M. v. *τύραννος*) duxit, sed Lepsius de *Pelasg. Tyrrhen.* p. 12. sq. collatis Dionys. Hal. 1, 26. et Tzetz. ad *Lycophr.* 717. ab ingentibus et vastis arcium oppidorumque eius populi moenibus, quae Graeci *τύρσεις* (= turres) nominabant. Nec praetereundum est ab umbrico *etru* = graec. *ἔτερος* repetitam esse eius nominis originem. Iam Servius ad *Vergil. Aen.* 9, 164. et 11, 598. id a graeco illo vocabulo duxit. Cf. *Lanzi Sagg. di ling. Etrusc.* Tom. II. p. 77. et *Grotefend.*, qui in *act. eruditor. Gottingens.* 1843. part. 2. p. 10. positum id esse dixit ab *Umbris*, qui ex *etru* (alter) populi illius terram *Etruriam* nominassent, quod nomen significaret alteram terram. Ascivit id *Corssen.*, qui quidem in *act. erudit.*, quae *Kuhn. edit.*, vol. 3. p. 272—275. et vol. 13. p. 317. contortius quam verius his gradibus *E-tru-ius-ia*, *E-tru-us-ia*, *E-trūs-ia* ad *E-trūr-ia* formam pervenit eamque magis alteram terram sive externam terram significare voluit, quod nomen ab *Umbris* Romani accepissent. At duae res huic interpretationi repugnant. Ac primum quidem, quamquam concedi potest fieri potuisse, ut etiam umbricum *Etruriae* nomen principio ab *e* vocali initium caperet, tamen carere ea illud ipsum nomen ex adiectivo *Turskum* apparet. Deinde in umbrico nomine *u* vocalem *r* excipit, non, ut in romano, *r* consonantem *u* vocalis. Quae quum ita sint, principalem stirpem aut *Eturs* aut *Turs* fuisse iudicandum est. Sive hoc putamus, sive illud, inversum esse ab Romanis *u* et *r* litterarum ordinem concedere cogimur, hoc autem posito etiam *e* vocalem inusitate ab iis praefixam.

Tus-cur ortum est (Turs-kum numem I. b, 17. = Tus-com nome VI. b, 58.), et graeca *Τυρσ-ηνοί* sive *Τυρσ-ηνοί* immutato **r** et **u** litterarum ordine differt. Eiusdem enim nominis formas illas omnes esse quum in promptu positum sit, tum C. O. Müller. in *Etruscor.* vol. 1. p. 71-72. et 100., Lepsius de Pelasgis Tyrrhenis (Lips. 1842.) p. 11., Corssen. in *act. eruditor.*, quae Kuhn. edit, vol. 3. p. 272 - 275. plane dixerunt.

Alterum genus nominum in *ūr-ia* cadentium est substantivorum numeralium, qualia sunt decuria et centuria. Quae ipsa quoque a substantivis in *ur* desinentibus profecta esse non solum ex decuriis apparet, quibus quidem non decuriales significantur, sed qui decuriae praesunt, decuriones (Paul. Diac. p. 54. et 57. ed. Lindem.), sed etiam ex comparatis cum iis graecis, quae in *ύς* exeunt, substantivis numeralibus, quippe a quibus ea non differant nisi **r** pro **s** posito et *ia* inclinamento adiuncto. Similis certe est ratio substantivorum, quae et in *ur* (genetiv. *ūr-is*) et in *ūr-ius* exitum habent, ut eiusdem substantivi, cuius sunt *volt-ur-is* (apud Ennium. vid. Bergk. in *nov. annal. philolog. et paedagog.* 1861. vol. 1. p. 503.) et *vult-ur-us*, etiam *vult-ur* et *vult-ūr-ius* formae exstant.⁸¹⁾ Etiam *cūriae* nomen

81) Aliam viam ingressus est Pott. in *quaestion. etymolog.* vol. 1. p. 123. et 200. vol. 2. p. 493., qui *centūriae*, *decūriae*, *cūriae* nomina ex *cent-viria*, *dec-viria*, *com-viria* ita orta esse voluit, ut *viria* affixo priorum partium terminationes oppressas esse diceret. Eum secuti sunt Benarius in libro de *linguae latin. elementis.* p. 96., Mommsen. de *Ital. inferior. dialect.* p. 259., Bergk. in *nov. annal. philolog. et paedagog.* 1861. vol. 1. p. 633., itemque Aufrecht. et Kirchhoff. in *ling. umbr. monum.* vol. 1. p. 58 et 163. vol. 2. p. 403 et 423, qui ita ab illis dissentiunt, ut *decuriae* vocabulum ex *decu-viria* ortum esse velint, id quod Corssenius, quamquam eius vocabuli exitum *uria* terminationem esse, quae esset substantivis fingendis, in *act. eruditor.*, quae Kuhn. edit, vol. 3. p. 244. dixerat, tamen in libro de *Volscor. ling.* p. 23. in explicandis *centuriae* et *decuriae* nominibus probavit. At, si recta esset ea explicatio, notio alteri parti illorum vocabulorum subiecta vix ita excidisset de memoria, ut in sermone vitae communis centenum herediorum, quae binum erant iugerum, numerus *centuria* (Varr. de *re rust.* 1, 10.) vocaretur. Nec vero Corssenio (de *Volscor. lingua.* p. 23.) assentior eumque secuto Schweizero (in *act. eruditor.*, quae Kuhn. edit. vol. 7. p. 449 et vol. 8. p. 449.), qui *cūriae* nomen ex *co* et *sanscrit. vas = gothic. visan* (habitare) ita compositum esse voluerunt, ut *co-vis-ia* eiecta *i* vocali in *cusia* coaluisse dicerent, ex quo ortum esset *curia*, quod substantivum proprie idem valeret ac *συνοικία*, deinde eos declararet, qui eodem loco habitarent. Posita enim est illa explicatio in forma vocis *Cusianes* teste Florentino codice in carminibus *Saliaribus* apud Varr. de *ling. lat.* 7, 26. scripta, quam Corssenius aut *Curiones* aut *Cusianos* explicari posse putat; at ea forma, etiamsi recte esset illo loco scripta, id quod dubitandum est, tamen esset obscurior, quam ut ex ea colligi posset, antiquiorem formam vocis *curiae* fuisse *cusia*. Eadem de causa reiiciendum est, quod coniecit Eschmannus, qui in *act. erudit.*, quae Kuhn. edit, vol. 13. p. 109. *curiae* nomen aut ab *as* radice (sedere) aut a verbo esse repetendum et ex *co-isia*, *coisia* ortum esse putat. De aliis explicationibus taceo. Praetermissum videtur esse *ūr-ia* terminationem conferendam esse cum *ūr-ius* et *ūr-ium* positionibus, quas habent in exitu *vult-ūr-ius*, quod vocabulum supra laudavi, et haec nomina propria *Cac-ūr-ius*, *Cam-ur-ius*, *Mam-ur-ius*, *Mass-ur-ius*, *Merc-ur-ius*, *Tit-ur-ius*, *Vet-ur-ius*, *Sat-ur-ius* (cuius antiquior forma est *Satureius*, ut *ulius* sive *ilius* formarum *uleius*, velut *Tituleius*, *Titulius*, *Titilius*, *Venuleius*, *Venulius*, *Venilius*. vid. Ritschel. *disputat. de sepulcro Furiorum Tusculano.* 1853. p. IV. sq.), neutriusque generis substantiva *aug-ūr-ium* ab *augure*, quod vocabulum ab *augendo* descendit, et *teg-ūr-ium*, pro quo vulgo *tug-ūr-ium* scribitur, a *tegendo* ductum.

cum illis componendum est, etsi fortasse fictione ab iis distat, quod aut radix eius eadem est, quae Quiritium, et inclinamentum ia, cui quidem rei repugnare videtur diversa illius vocabuli mensura, aut nomini ceivis sive civis, qui osce cevs (tabul. Bantin. 19.) dicebatur, ur-ia inclinamentum affixum est. Hoc posito ex cêv-ūria cūria ortum est, ut ex brev-uma brūma, illo tantum discrimine interposito, ut illic êv, hic êv cum ū in ū coaluisse videatur, quod mirum videri non potest propterea, quod eodem modo prôvidens in prūdens coaluit. Sive hoc putamus, sed illud, curiae vocabulum proprie nihil aliud significat, quam civium classem et conferendum est cum graeco φρατρία et osco ver-eija (res publica).

Tum in uria cadunt abstracta, ut a luxu ductum luxūriae vocabulum et πείν-η propinquum pênūriae nomen, quae conferenda sunt cum verbis desiderativis, quae non solum appetentiam et cupiditatem significant, sed etiam impetum (micturire, parturire) et proclivitatem, atque adeo accretionem et ubertatem (scaturire); nam uria positio ut in luxuriae vocabulo proclivitatem, sic in penuriae nomine inopiae quandam accretionem declarat et ut illa verba non solum in urio, sed etiam in ūrio (ligūrio, scatūrio) exeunt, sic luxuria in ūria, penuria in ūria desinit.

Ex substantivis cum nominibus numeralibus compositis unum tribqision poni potest, quod quum ex tri, primitiva nominis numeri ternarii forma, bqik radice, quae eadem est atque ea, ad quam latina plêcto, plāga, plango graecaque πληγή et πλήσσω revocanda sunt, inclinamentoque ion compositum sit, triplex sacrificium⁸²⁾ significat.

82) Aufrecht. et Kirchoff. in ling. umbr. monum. vol. 1. p. 85. et vol. 2 p. 165. 320. 421. eosque secutus Huschkius, quum, id quod iam opinatus erat Grotefendus in Rudim. ling. umbr. Partic. III. 19. IV. 21. VII. 1. 4., umbricum bqik idem esse putarent, quod latinum plec, tribqision proprie triplicationem, deinde ternionem, tum eodem modo, quo graecum τριπλῆς nomen, maxime trium hostiarum sacrificium significare dixerunt. Et trium quidem hostiarum sacrificium hoc substantivo exprimi quum pateat in promptuque sit, tum iam Lassenius in iis, quae ad explicandas tabulas Iguvinas attulit, p. 56. planissime dixit; sed proprie ei triplicationis notionem subiectam esse non potest concedi. Etenim, quamquam pro umbrico q Latini d et l litteris utuntur, tamen obstat, quod ut in plak, quod idem est ac latinum plec, id quod tuplak vocabulo (III. 14.) confirmatur, itemque in propinquis vocabulis tupler (V. a, 19.), dupla (VI. b, 18.), tripler (V. a, 21.) constanter l, sic in nominativo tribqisu (V. a, 9.) q et in ablativo tribrisine (VI. a, 54.) pro eo r positum est. Qua diversitate alteram huius substantivi partem ab alia radice, eaque, quam supra dixi, repetere cogimur. Ex quo apparet tricisionis, ut ita dicam, notionem tribqision vocabulo subiiciendam esse. Nec recte fecerunt Aufrecht. et Kirchoff., quod in ling. umbr. monum. vol. 2. p. 19. 164. 320. 421. tribqisu, quod V. a, 9. in archetypo est, in tribrisu mutaverunt. VI. a, 54. sane huius nominis ablativus tribrisine scriptus est, sed, quum etiam aliis locis tabularum et umbricis litteris et latinis inscriptarum r pro q positum sit (de qua re vid., quae partic. I. not. 12. attulimus), non est, quod ideo, quod VI. a, 54. hoc vocabulum r littera scriptum est, quae hic invenitur eius scribendi ratio falsa iudicetur. Neque offensionem est, quod labialis q littera excipitur, propterea, quod Pueni dei epitheton omnibus locis q littera scriptum est. Vid. Pupqike III. 27. 35. IV. 10. 12. sive Pupqise IV. 24. et Pupqikes IV. 11. 13, sive Pupqises IV. 4. 26. Quod denique Aufrecht. et Kirchoff. recte tribqisu scribi in ling. umbr. monum. vol. 2. p. 164. negant

III. De substantivis a substantivis ductis.

Ex substantivorum a substantivis ductorum genere

1) ea ponimus, quorum inclinamenta monosyllaba sunt, quae aut a vocali incipiunt aut a consonante. Et ex his quidem

a, ea memoramus, quae in ek⁸³⁾ desinunt, ut *fratreks* (V. a, 23., V. b, 1.) sive *fratrexs* (VII. b, 1.), i. e. fratrum (Attidiorum) magister. Quod substantivum umbricum eodem modo a fratre derivatum est, quo a matre latinum matricis nomen.

iccirco, quod *briś*, quam ii alteram huius vocabuli partem esse volunt, latino *plec* putant respondere, refellitur id quidem explicatione a nobis proposita, sed etiamsi id vocabulum triplicationem significaret, quum non solum r finitimum sit l litterae, sed etiam q ab Umbris ponatur, ubi Latini l littera utuntur, *briś* cum latino *plec* congrueret.

83) Conferenda est haec positio cum latina *ic*, qua matricis nomen fictum est, non cum *ic*, qua annexa formata sunt verbalia substantiva, ut *append-ic-is* et *vert-ic-is* nomina. Ceterum ab ipsis substantivis eius generis nomina videntur duxisse etiam Aufrecht. et Kirchhoff. in ling. umbr. monum. vol. 2. p. 406., quo loco ii a fratre et adiectivum *fratreko* et substantivum *fratrek* descendere dixerunt, quamquam in eiusdem libri vol. 2. p. 304. a fratre id ductum esse putaverunt affixo *iko*, cuius positionis o inter k et s nominativi notam eodem modo suppressum esset, quo in osco adiectivo *túvtíks* pro *túvtíkús* posito. Quae explicatio si probatur, adiectivum *fratreks* habendum idque substantivo, quale est *magister*, supplendum est; sed, quum id ita sit necessarium, ut sine eo adiectivum *fratreko* fratrum magistrum significare non possit, repudiandam esse illam interpretationem apparet. Etiam Huschkius in tabul. Iguvin. p. 304. a fratre *fratreks* ita ductum esse iudicavit, ut id ad tertiam declinationem, non ad secundam, referendum esse diceret; sed idem praeter latinum *matrix* etiam *rex* et *pontifex* oscumque *meddíss* sive *meddí* cum eo conferenda esse putavit. Quae comparatio ideo reiicienda est, quod haec substantiva verbalia sunt, nam ut *rex* a *regendo*, sic *ponti-fex* a *faciendo* ductum est. *Meddix* autem, quo modo Romani hoc vocabulum efferebant (Enn. apud. Fest. p. 92. ed. Lindem. „Summus ibi capitur meddix, occiditur alter.“), vel potius *meddíss* sive *meddí*, quo modo Osci extremo x in litteram cum vehementi sibilatu exprimentam mutato pronuntiabant, neque regnatorem significat, ut voluerunt Dacer. ad Fest. p. 484. ed. Lindem. et Grotefend. Rudim. ling. umbr. Partic. IV. 14., qui id a graeco *μέδ-ειν* sive *μέδ-εσθαι* duxerunt, neque curatorem, ut putaverunt Schoemannus in comment. de vocibus *Meddix Tuticus*. Gryphiswald. 1840. (Opuscul. Acad. vol. 3. p. 410—427.), Mommsenius de Ital. infer. dial. p. 278—279., Schweizerus in act. eruditor., quae Kuhn. edit, vol. 3. p. 349., qui quidem formam eius et graeco verbo *μέδ-εσθαι* et latinis *med-eri* et *med-itari* collatis eandem, quam latini medici, esse opinati sunt. Nam rectius duplici d quam simplici hoc vocabulum scribitur propterea, quod id t littera sequenti d assimilata ex *metd[íss]* ortum est, quo modo scriptum est in titulo Boviano (Bulletin. archéologic. Napolitan. VII. taf. II, 1.). Compositum enim hoc substantivum est, et prior quidem eius pars est *me-ti*, cuius i inter t et d excidit, idem vocabulum oscum ac sanscritum *mā-ti* et graecum *μη-τι*, posterior *deik* sive *dic* (dicere). Ut hoc a Lindemanno ad Fest. p. 484. propositum hoc vocabulo *metdíss* in titulo illo Boviano scripto, sic illud ab Aufrecht et Kirchhoffio in ling. umbr. monum. vol. 2. p. 155. prolatum eius nominativo plural. in titulo Messanio apud Mommsen. in Ital. infer. dial. tab. XII. 39. a graecis litteris *ΜΕΔΑΙΕΙΣ* expresso confirmatur. Quare ut *iu-dex is* est, qui ius dicit, et *vin-dex is*, qui, si cuius rei postulatae possessioni vel occupationi impedimentum inferatur, vim se facturum esse dicit, sic *med-dix is* est, qui consilium dicit sive consiliatur. Cf. Corssen. in act. erudit., quae Kuhn. edit, vol. 11. p. 330—334.

b, Deinde memorandum est et inclinamentum, quo fictum est eri-et, quod idem est ac latinum ari-et et sanscritum harj-at. Nam hari, ari, ar ovem significare collatis vasconicis vocabulis aria (vervex), ardia (ovis), ar-zaya (opilio), quae Pottius quaestion. etymologic. vol. 1. p. 223. et vol. 2. p. 189. cum eo comparavit, et latinis formis arviga (Varr. de ling. lat. 5, 19, 98. Paul. Diacon. p. 75. ed. Lindem.), ariuga (Vel. Long. p. 2233. P.), haruga (Donat. ad Terent. Phorm. 4, 4, 28.), arvix (Varr. loco, quem ante dixi) satis apparet.⁸⁴) At graecum ἄρν, a quo orta sunt ἄρν-ός (agni), ἄρν-ίον (agnellus), ἄρν-ειός (= κριός, aries), conferendum cum eo non esse ex ν post ἄρ posito intelligitur. Immo vero id adiectivo ἄρῶν, quod quidem Buttmanus in grammat. graec. vol. 1. p. 228. negat, propinquum est, quare ἄρνες principio agni masculi (Homer. Od. 4, 85.) sunt et ovis mascula sive aries non solum ἄρνειός, sed etiam ἄρνειός ὄϊς (Homer. Od. 10, 572.) sive ὄϊς ἄρνειός (Homer. Od. 10, 527.) vocatur. Idem quidem, quod ἄρνειός, ἔρῶς est propterea, quod id, quum adiectivo ἔρῶν sive ἔρσην = ἄρῶν propinquum sit, ipsum quoque proprie masculam bestiam, deinde arietem significat; sed quum ab alia stirpe ac latinum ari-et et umbricum eri-et ductum sit, etiamsi utrumque, ἔρῶς et eri-et, ab e vocali incipit, cum hoc non, ut voluit Huschkus in tabul. Iguvin. p. 352., potest conferri.

c, Tum memoranda sunt, quae exitum habent in on, quod Umbri et Romani pro sanscrito an ponebant, ut hóm-ôn (homo), quod vocabulum idem est ac gothicum gum-an, theodisc. gom-on, nostr. gam (altera pars vocabuli nostri bräuti-gam), lituanic. žm-on (žm-on-es = homines) et latino hūm-us, graeco χαμα (a quo descenderunt χαμαί, χαμάθην, χαμάζει), sanscrito ks chamâ (terra), lituanico žém-ê (terra), slavico zem-lja (terra) propinquum.⁸⁵) Cf. hebraicum âdâm (homo) et âdâmâh (terra). Itaque ut âdâm apud Hebraeos, sic homo apud Umbros et Romanos, quibuscum sentiunt Gothi et Lituani itemque Graeci in fabula de Prometheo ficta, terrenum vel humo natum significat. Ceterum longam on inclinamenti vocalem, quam posteriore aetate Romani corripuerunt et in i mutaverunt, ut ab Ennio et Plauto, sic ab Umbris in hoc substantivo integram servatam esse ex hom-on-us (V. b, 10. 15.), i. e. hominibus, intelligitur.

Eodem inclinamento in amplificativis fingendis et Graecos et Romanos usos esse pervulgatum est. Cf. γάστρων, κεφάλων, φύσκων, γλάμων, γράσων, μάλθων

